THRENODIA
TRIUMPHALIS,
IN
OBITUM
Sereniſsimi Noſtri Principis
OLIVARI
Angliæ, Scotiæ, Hiberniæ,
Cum Dominationibus ubicunque jacentibus
NVPERI
PROTECTORIS
(Qui Obiit *Septemb.* 3°.)
UBI
Stupendæ paſsim Victoriæ, & Incredibiles Domi
Foraſque Succeſſus, Heroico Carmine
Succinctim perſtringuntur.

Iuum cuiqz. Tho: Hearne 1717.

Ex dono amiciſsimi Juvenis Richardi Furney, A. B. è Coll. Oriel.

Francis Gwyn, of Ford Abbey in Devonshire, Esqz. hath in his Possession a Copy of this thing PER in large Paper, with a printed Inscription to FITZPAYNÆUM PISCATOREM.

Lond. Prideaux, Esqz. ab-t time Attorney General, GG
[otherwise, as I am told, of a fair Character] in wch Copy the Inscription in the first Page of this Book is left out. 1679
The Sd. Mr. Gwyns Copy hath considerably more Verses than mine.

LONDINI,

Excudebat *Ja: Cottrel.* MDCLVIII.

BIBLIOTHECA BODLEIANA

THRENODIA
TRIUMPHALIS.

NOstra repentinus quis Pectora perculit horror,
Et nova præsectis inflixit vulnera Venis?
Eloquar? An Sileam? Pudor est Siluisse Dolores,
Nec minor est Meminisse, Metus; Quibus Ipse vacillans
Distrahor, invitoque animus distenditur Æstro.
Nec juvat Æonidum turbatos visere fontes,
Et quæ Sicca, suo tumuerunt Littora fletu.
Nempe Novenarum trepidant Delubra Sororum
Diluvium sensura novum, voluique videntur
Sedibus, & ruptis Helicon pallescere ripis.
Hinc *CHAMUS*; Inde dolens *ISIS* sedet, ægraq; fundunt
Murmura, Queis, Clarii Cortina remugiit Antri,
Ceu lugubre sonans Gygæi ripa Caystri
Quum jam parvus Olor, Matris morientis ab ore
Pendet amans, discitq; sui modulamina lethi.
Nos quoque, (nos gemini quondam pars parva Lycæi)
Sensimus insolitos gemitus, nec ut ante, Triumphos
Quum cecini, Virides surgunt in vertice Laurus,

Aut

Aut Vatum vittatus honos, ſed Taxus adumbrat
Tempora, Victriceſque Hederas inviſa Cupreſſus.
Carmina dum petimus, veniunt in Carmina luctus,
Squallenteſq; modos, & ſingultantia Senſa
Flevimus, adſperſis vix intellecta Lituris.
Mundi *Summe PARENS!* in Te Committere tantum
Quid Britones potuere? Quibus fędavimus Aras
Flagitiis *PATER ALME* Tuas? ut fulmina vibres
In noſtras per Sæcla plagas, Populumque miſellum
Terreat aſsiduo Nemeſis Divina flagello.
Quis modus Exequiis? Cui fas Cœleſtibus Iris,
Aut conclamatis finem Sperare Ruinis?
Ah! Gentis miſerere Tuæ, tandemque Britannis
Crudeles averte minas; nam, nonne ſeverani
Sat fuerat ſenſiſſe manum quum triſtibus olim
Excita Diſsidiis, trucis inclementia Belli
Ingruerat, fuſis Britoneſq; umbraverat alis?
Non ſat erat cum plebe Ducum per funera, Mœſtos
Tot numerâſſe Dies, & pullo nubila luctu
Sæcula, flebilibus toties iterâſſe querelis?
Non ſat erat Fato (veſtros *O LIVARE* Penates
Ut partim memorem) Celſi proſternere Tecti

Præ-

Culmina, contiguaſq; Trabes, niſi funditus *Ipſam*
Vulſiſſet radice *Domum*: proh noxia Magnis
Sydera! nec modico Lacheſis contenta Paratu.
Aſtra prius repetens, Regali ſtemmate creta,
Præceſsit Tibi, *Mater* Anus; Quam, ponè ſequuta eſt
Hinc, *Soror*; hinc, *Neptis*; nec non Sublimis *Eliza*
Filia, Quadratam conſtellatura Coronam.
Sic tortus rapido ventorum Turbine Vortex
Frugibus excuſsis primùm cum Frondibus, Artus
Arboris aggreditur validos, nodiſq; toroſa
Brachia circumagit, donec de Stirpibus imis
Eruat integrum metuendo pondere Truncum.
Infælix *Septembris* eat Lux tertia, Lauris
Et lachrymis debenda Dies! Lux Illa Curules
Victrices quæ vidit ovans, jam mœſta, Feretrum
Viſura eſt *OLIVARE* Tuum, Tragicoſque triumphos.
Tardior Annus eat ſerotinus; Illeque raſus
Idubus *Autumnus* noſtris procul exulet Anglis,
Quo veniente, ſuis deceſsit Gloria Sylvis, (cadentem
Dum *Britonum* tremit omne Nemus, *CEDRUMQ;*
Ingemit haud uno *Lebanon* reparabilis Ævo.
Indoluit Phyllis, Caſuq; exterrita tanto

Threnodia Triumphalis.

Exanimis ſtupuit, fugitq; *Amaryllis* inermis
Lumine demiſſo, & ſparſo ſine Lege Capillo,
Exequiis moritura Suis. *Galatæa* ſuperbas
Oderat *HAMPTONIDUM* Turres; & Turba minorum
Unanimes Sociâre gradus, & fœdere facto
ALBAULAM repetunt, ut ſe quoque flentibus addant.
Omnibus ubertim fletum eſt; Qui nomen amârunt,
Omnigenis dolor unus adeſt. Communia ſentit
Vulnera Prætextus miſera cum Plebe, Senator,
Cum Satrapis, Generoſus Eques, cum Milite, Clerus,
Cum Clero, Civile Forum; pariliq; Sepulchro
Pæne tegi Gens totavelit, ni ſi Luce *RICHARDUS*
Diſpulit inſtantes Tenebras, de Sole Cadente
Phoſphorus Ille, novo jam ſurrecturus *Eoo*.
Illius à Radiis *Auroræ*, Læta Britannis
Pectora, & Augurium Clarâ de Luce Diei
Venturi, ſibi quiſque Capit; tamen intus adactum
Viſcere vulnus hians, & *tanti Veſperis* Umbræ
Mentibus occurrunt, oblataq; Gaudia turbant.
Sic ubi Cervicem feſſus ſubduxerit *Atlas*,
Sit Moles ſecura licèt, tamen icta pavore
Nutat adhùc, totum velutique gravedine Cœlum

Threnodia Triumphalis.

Torpet, & invitis nictans ſcintillulat Aſtris:
Claudite jam Libros *Medici*, & ſuſpendite Criſin
Morborum; primum ſuccreſcens Calculus Ægrum
Strinxit; at extremæ Quæ rupit vincula vitæ
Flammea Febris erat: Quid enim, ſuccumberet ingens
CROMELLUS leviore Malo, quàm Quod feret Orbis
Ultimus, immenſi quum fervida Machina Mundi
In Cineres reſoluta ruet, Flammiſq; dehiſcet?
Concuſſo ſic Orbe cadis; velutique quadrigis
Turbine Nimborum veheris, *Suſpiria* Ventus
Dum dabat, & *Lachrymas*, tanti Libamina Buſti.
Frange leves *Tycho-Brache* Tubos. nec conſule Stellas
Cur non fatidici tunc præluxere Cometæ,
Nullaque quod fuerant Fati Portenta Futuri,
Portentum *Periiſſe* fuit, majuſq; *CROMELLUM*
Prodigium potuiſſe *mori*; Quem fulgida dudum
Fecerat *Æthereum* Pietas, Divumq; per Aſtra
Tranſtulit Indigitem, Patrioq; inſcripſit Olympo.
Quâ dignum Te Laude Feram *Dux Celſe* beatis
Reddite Cœlicolis! Qui jam ſuper Ætheris Orbes
Victor ovas, Mundoq; cadens, plus vivere Mundo
Incipis, & plauſu paſsim majore Triumphas.

Sci-

Scilicet Invidiæ furor, & Detractio demens
Lurida Latrantis Populi, poſt Fata quierunt,
Et quem viventem, Regnantemque Odimus, eheu!
Quærimus Abſentem, votiſque repoſcimus *Umbram.*
Parte tamen meliore cluens, Tua ſurget Imago
Celſior in *SOBOLE,* & Britticis Annalibus Icon
Virtutum Victrix omni memorabitur Ævo:
Dum Pater Oceanus ſolito circumfluet Anglos
Gurgite, Fraterno vel Lumina ſumet ab Aſtro
Mutua cornigeræ Sydus reparabile Lunæ.
Anglia ſed primùm tantos mirabitur actus
Vulneribus defenſa Tuis; Te, Salva, ſtativo
Vindice, & à rapidis toties erepta ruinis.
O quoties *OLIVARE*, Togæ ſtudioſior, Arma
Geſſeris invitus, mœrenſque adverſa tuliſti
Funera, & in medio flevit Clementia ferro!
O quoties Cœlo, Superiſq; faventibus Aſtris,
Agmina *CAROLIDUM* ſubverſis undique ſignis
Fudiſti victor! Quorum tot Funera ſtabunt
Tot Famæ Monumenta Tuæ; Monumenta Trophæis
Æmula *Niliacis*, quamvis *Mauſole* ſuperbum,
Pyramidumque procul minitantem Sydera Molem

Tol-

Tollat, & immenſi jactet Miracula Mundi.
Signabunt Exempla Fidem, totieſq; probatas
Centeno ſub Teſte Manus, Quas *Kainton*; & extra
Cambria Victrices ſtupuit, longumque ſtupebit
Fulmina poſteritas, ſeù *Lincolnenſibus* Oris,
Aut veſtris *Naisbæe* plagis Bellator anhelo
Ingruerat *Cataphractus* Equo; vel *Caſtra* Gradivi,
Et *Peditum* curârat opus, Quo judice cinctis
Contigit Obſidio quoties, admotaque muris
Machina flammivomo longe metuenda Metallo
Obvia prærupto findebat Mœnia Sulco.
Te fortunatum quoties *Cornubia* vidit,
Et *Somerſetti*, fœcundaque *Devonis* Arva,
Et *Durotriges* genus in ſua Fata cientes
Clavigerum quà *Sturus* agros irrorat, & alti
Culmen *Hamiltonii* vicino jungitur *HODDO!*
Hamptonium Tibi teſtis erit quà fragmina mœrent
Baſsingi miſeranda Domus. *Neoburgia* Nomen
Horret; & exertos eheu reminiſcitur enſes
Eboracum, *MARSTONQ;* potens, cui, longius arva
Tecta Cadaveribus, Tumuliſq; tumentia proſtant
Victorum Monumenta Ducum. Tua Geſta loquetur

Fusius, & Palmis junget *Lancastria* Palmas,
Aulaq; *Præstonicis* dudum decorata Trophæis,
Quum vaga Finitimæ vomuerunt prælia ripæ,
Tuedaque Lethiferos in Nos transfuderat Hostes.
O Dux *Angliacis* toties spectabilis Oris,
A supero servate DEO ! Tentoria cujus
Circumfusa palam radiantia Sydera noctu
Excubias posuere suas, & luce vicissim
Aurea, Pennigeris stiparunt agmina turmis ;
Sive *Vigorniacis* moliris Funera, sive
Northumbros popularis agros, ut utrumq; *Trionis*
Sidus, & *Occidui*, Te fusis ambiat alis
Victorem, geminosque simul contingeret Axes
CROMELICÆ virtutis apex --. quid plura ? quid istis
Immoror ? *Herculeos* nam tot recitare labores
Herculeus Labor alter erit, quibus impar, avenâ
Dum conor tenui, videor superaddere guttas
Oceano, nitidoq; facem protendere *Phœbo*.
Sed non una Tuas Regio *Celeberrime* Laurus,
Nec circumscribet tantum Decus *Insula* : Famæ
Stat Tellus nimis arcta Tuæ, trans Æquora Turmas
Dum vehis, inque alias ruis implacabilis Hostis.

Ergo

Ergo Hyemes bellare doces, adverſaq; ſulcas
Cærula, & iratis obtrudis Carbaſa Ventis:
Puppibus obruitur *Pelagus*, vexillaq; longe
Ogygiæ videre plagæ; trepidavit *Ierna*
Hoſpitibus calcanda novis, ſtragiſq; tot olim
Conſcia, par viduæ ſquallenti pulvere ſedit
Effuſis laniata Comis. Tunc *Barbiton* excors
Et *Lyra* rauciſonans tacuit, cunctaſq; per ædes
Audita eſt Tuba bellipotens, & Tympana mæſtos
Sueta ciere ſonos, quales lugubre Feretrum,
Et devaſtatæ decuerunt Funera Terræ.
En! Dux Martip otens millenis cinctus ab armis
Subſidio munitus adeſt, Gentiſq; miſertus
Tempeſtiva dabat miſero medicamina morbo.
DUBLINUM perſenſit opem, nitidiſsima ſedes
Ogygiis Regina plagis: *Connacia* ſenſit
Nativis fruitura ſuis; populoſaque pube
Munſtria Fœcundæ ter fælix Mater *Iernæ*
Obvia præda diu, multiſque objecta lacertis,
Fœdatis deterſa toris, ſolitiſque rapinis,
Virginis intactæ veluti formoſius ibat
Flavis cincta Comis, expectatura maritum,

Aut

Aut alios viſura procos. *Ultonia* dudum
Pænè ſuis tumulata malis, ſurrexit ab Umbris
Lætior, excipiens reduces poſt nubila tanta
Angligenas, olim raptos transferre penates
Compulſos, Patriæque procul deflere Cadaver.
O Caput innumeris, Menſque inturbata periclis!
Quis *Briareus* poterat tantis confligere rebus,
Centenâ *Giareuſve* manu? Nec meta Labori,
Mavorti nec finis adeſt; crevere Tumultus
Fluctus uti trudit fluctus, alibique reſectis
Protuberâre novæ fœcundæ cladibus *Hydræ*.
Mox debellatæ vix dum pacantur *Iernæ*
Sydera, quàm *Camber*, nec non *Dux* magnus *Hamilton*
Captivus, paribus ſub Te cecidere Triumphis.
Ergo Serenatos ut fixâ pace *Britannos*
Conſolides, patriiſq; abigas Incendia terris,
Belligerum moliris iter, Clademque rependens
Clade, *Caledoniis* graderis metuendus in oris,
Anticipans levitate Notos, curruſq; volantis
Oenomai; Tremuere jugis ſublimia magni
Culmina *Penclandi*, Britonum numeroſa Cadurca,
Atq; novum vidiſſe Nemus, nulloque ſerente

Jugera Fraxineos Circumfundentia Saltus.
Dicite terrores quos inculcaverat hosti
DUNBARRI funesta lues, memoranda *Britannis*
Æternùm, nulloque Dies delebilis ævo.
Perpetuâ Res digna Fide; vaga millia vulgi
Captivi vicere oculos, & strage stupendâ
Tot sine lege Duces, milesq; gregarius uno
Funere, *CROMELICO* cecidere Piacula Ferro.
Quis Tibi mox Rabies, & anheli pectoris horror
Musleborrhe fuit lituos audire propinquos,
Strataque finitimis vidisse Cadavera Campis?
Tum caput attonito condebat *Fortha* profundo;
Plorabas & *LETHA* Domi quum milite montes
Arthuri fremerent; nec *EDENI* nobile *BURGUM*
Abstinuit lachrymis versis ubi victor habenis
Ingruerat, fusis *ARCEMQUE* umbraverat alis.
Indomitæ Virtutis opus! Te nulla retardant
Claustra, nec ingentes Scopuli; nil dira *Decembris*
Flamina, nil Septem, Tu Sydera sæva Trionum
Imbriferis sociata notis, nimbosve moraris.
Fervet Opus, Frigente Polo; dum Castra pruinis
Tolluntur, mediâque rigent Tentoria Rupe.

Auſpiciis his Victor ovas; hoc conficis *Apros*
Marte *Caledonios*, & eodem Marte *Pythones*
Pictigenas OLIVARE premis, ſive alter *Apollo*,
Sive alter *Meleager* eras. Nec ſiſtitur ingens
Impetus, extremam potârunt Agmina *THULEN*,
Armaq; belligeri viderunt *ORCADES* Angli,
Et loca, quà Humanis deſunt veſtigia plantis
Victrices mirata manus, docuereque dudùm
Montanis quam parva Salus, quum ſanguine tinctæ
ALBANÆ rubuere nives, & mollior ipſis
Indigenis flevit tepido *ARGATHELIA* rore.
Deſcivere Caſis *Pictæ*, ſtupuitque *LOGUHABBER*:
Nil Clauſtris *CANTIRE* Tuis, nil profuit Hoſti
Munitis hæſiſſe Locis; Spes irrita *MULLÆ*
Ivit, & armiſonis ſcopuli cecidere procellis.
En tibi tantorum eſt operoſus teſtis honorum
INVERNESSA potens! Qua nuper Pelion Oſſæ
Additur, & turres, & ſaxa minantia ſaxis:
Illa Tuum decus, & ſurgentia nomina tollet
Aeriis æquanda jugis; ut ſecula vaſtas
Mirentur ventura Trabes, & jure ſalutent
Te *Fundatorem* tanti Molimina Caſtri.

Nec

Nec satis ad vestros prostant tria Regna Triumphos;
Nam ne sola Tuo frueretur *Terra* labore
Æquor adest, sociisq; Comes adsciscitur actis.
Agnovere Tuum nostræ *Nereides* undis
Auxilium, *Briticumq;* diu Te Vindice *DUNUM.*
Longius *undivagi* superatâ classe *Coloni*
Belligeras sensere Rates, sensere, Coacti
Sub nutus venisse novos, positoque Tridentis
Jure, Maris *Dominos* tandem coluisse *Britannos.*
Quid loquar æquoreas Acies, validasq; carinas,
Quum procul Oceano tot Rostra micantia Rostris,
Turritęq; Trabes, & lignea Castra natabant,
Passaq; seclusum nigrârunt Carbasa Solem?
Indoluit Natura parens vidisse tot Ornos
Indigenis migrâsse jugis; contracta timebant
Æquora squamigeræ Gentes, miratque *Nereus*
Tot Sylvas, Saltusque vago fluitare Profundo.
Vicino stupefacte malo mox *Olbion* insons
Mœrebas, motique pari formidine Cives,
Instabas *Pharetrate* Tuis quum *Belga* sagittis,
Et formidandi *Rostris* fremuere Leones,
Raucaque *Dovaricis* mugibant fulmina Portis.

Tum

Tum pater in tanti miſerando turbine Cœpti
Conſiliis opibuſque aderas; ſtipendia Nautis
Mandatis crevere tuis, & quemque merentem
Ambibant nova dona Ducem; tum Judice ferro
Anglorum fortuna ſtetit; tum vindice ferro
Adverſi cecidere Greges, & littora *Flandris*,
Et Morinum rubuere ſinus; ruit ebria *Thetis*
Humano temulenta Mero, ſtupuitque vorago
Goodvini, & geminis *Corumbia* nota Columnis.
Sic *Olivare* Tuos crebris Succeſsibus Anglos
Maxime circumagis, dum cæpta Puerpera cæptis
Prole novâ cumulas, Tot Terrarumque Trophæis
Adjicis immenſi ſpatioſa volumina Ponti
Prodigus, Angligenis victrix ut adorea paſsim
Pullulet, & Britico Sylveſcant Serta Profundo.
Sed nobis creviſſe parùm, vel cingier undis
Nativis, *Olivare* fuit; non *Flandria* laurus
Perſtrinxit non *Belga* tuas, nam gloria metas
Sprevit, *Atlantæos* penetrans fulgore receſſus.
Eminùs *Herculeæ* Dominantia Roſtra Columnæ
Viderunt, veſtræ nec tum ſatis *Adria* famæ
Suffecit, vel littus atrox quod *Dalmatus* horrens

Incu-

Incubat, aut tumidi bellatrix Spuma *Tarenti.*
Vindice *Montaguo*, *Blakeoque* Tonitrua noſtra
Algeriæ ſtupuere plagæ, fatumq; timebat
Flebile *Tunniſium*, quum paſsim ſanguine tincta
Helles, & *Æmoniæ* rubuerunt Cornua Lunæ:
Ambo fuiſtis enim domitores, ambo potentum
Terrores Regum, Cui victrix cognita virtus
Gentibus, & niveis toties fortuna quadrigis
Vecta, labefactas patefecit fulmine portas.
Quot nova *virtuti Veſtræ* jam ſerta feremus
Quæ *Tarteſſiacas* flammis ultricibus oras
Terruit, extremo poſuitq; minacia mundo
Serica, & affixas ad Phœbi limina laurus?
Sic tandem propero Senio, Cœloq; ciente,
Poſtquam omnes terræ, Pelagiq; expleſſet honores
Victor *OLIVARUS* patrio conceſsit Olympo,
Sumpturus Diàdema novum; Mundique caducas
Ridet divitias, æternaque Sceptra moratur.
Interea nos turba minor, ſuper aſtra meantem
Aſſequimur lachrymis, & abortos fundimus imbres,
Præq; metu ſtamus trepidi, tenebraſque veremur,
Cimmeriumq; Chaos, niſi vivâ voce *RICHARDUS*

Threnodia Triumphalis.

Jussisset procul ire metus; ter nobilis Icon
Patris *OLIVARI*, & vivax Genitoris Imago,
Virtutum, & *Sceptri* Soboles, amplissimus hæres,
Et typus amborum, Qui, si non Jura dedissent
Sanguinis Imperium, poterat *Candore* Mereri;
Cujus ego (Cœlum modo nostris annuat ausis)
Divinas animi Dotes, maturaq; sceptris
Semina, Jugeribus Laudumq; feracia jungam
Jugera, grandiloquo potius sulcanda cothurno.

Ingratitude :

To Pope

Nas ϕ c.